

dicitur replevisse dextram Dei: *Prov.* III, 16. longævitas in dextra Sapient. Vel dextra notat cum honore favorem, ceu ex iudicio ext. patet *Matth.* XXV, 33. Adeoque hæc ipsa Dextra Dei felicissima opponitur inferni angoribus, supra *vers.* 10. memoratis, simulque nos sessionis Christi gloriosæ ad dextram Patris commonefacit. confer *Psal.* CX, 1. LXVIII, 19. *Eph.* IV, 8. 10. *Ebr.* II, 9. Atque hoc ipsum est glorificari illâ gloriâ, quam habuit Christus, antequam mundus esset: *Job.* XVII, 5. Nequaquam tamen inferre hinc licet, Dextram Dei esse jucunditatem vel beatitudinem cœlestem, uti volunt quidam Calviniani: nam sic etiam *Facies Dei* & *Saturitas* coram facie Dei, forent idem, &c. vide *Feurb. fasc.* 4. *disp.* 3. *thes.* 45. p. 126.

נצח *perpetuò*: vel in omnem æternitatem: est ellipsis literæ (ל) ut *Psal.* XIII, 2. quosque oblivisceris mei נצח pro נצח ל in seculum.

USUS PRACTICUS E VERSU I.

(1) *Mariæ filium, Jesum Nazarenum, esse verum Messiam, ex Psalmo hoc cum Act.* II, 31. collato, præter morem suum probat b. l. *Piscator.*

(2) *Messie precatio, non sine approbatione Patris, à cunctis ejus adhibetur fratribus, debita tamen cum discretionem.*

(3) *Custodia nulla tutior, quam que à Deo impetratur. Custodit ipse contra hostes tam visibiles, quam invisibiles, tam externos, quam internos, tam communes, quam privatos, &c. Custodit per media tam ordinaria, quam extraordinaria, &c.*

(4) *De Fiducia, vid. I. præcept.*

USUS E VERSU II.

(1) *Anima per preces alloquitur Deum filialiter, eidem quoque tanquam Domino vero atque unico se committit penitus: tu Dominus meus! v. 2.*

(2) *Beatitudo nostra non extra aut supra Deum reperitur usquam. Psal.* LXXIII, 25.

(3) *Beneficia per Messiam parva, non sunt proficua Deo, sed solis sanctis, de quibus sequitur. Deus sibi sufficit ab æterno.*

(4) *Grandis deceptio mortalium, quando sua probitate quicquam se apud Deum meruisse persuasum habent; Rom.* XI, 35.

USUS E VERSU III.

(1) *Sancti etiam dantur in terris; ut proinde solis cœlitibus minus rectè titulus hic cesserit in papatu.*

(2) *Sanctitas est vel imputata, vel inherens: atque hæc posterior vel inchoata in terris, vel consummata in cœlis.*

(3) *Sicut oves appellantur ethnici adhuc convertendi, Joh.* X, 16. ita b. l. sancti, qui per universum terrarum adhuc dispersi, à Deo tamen prævisi: *Rom.* VIII, 29.

(4) *Sanctitati ergò student sedulo, quotquot per Christum frui volunt cœlo.*

(5) *Gloriosi sunt in oculis Domini, qui per fidem Christo sunt inserti, utut coram mundo sint Lazari, aut mera catharmata.*

(6) *Oblectatio Dei in fidelibus suis est planè ineffabilis: Jes.* LXII, 4. *Eph.* I, 6.

(7) *Fluat hinc nostra charitas erga eosdem nostros Fratres, à Deo tantoperè dilectos.*

USUS E VERSU IV.

(1) *Deum deserere, & aliud quid præter hunc unum*

A sectari, est peccatorum omnium origo ac diluvium: Jer. II, 13. *vid. I. præcept. de idololatria crassa & subtili, de superstitione &c.*

(2) *Festinare ad bonum, quo utilius: eò detestabilius, si ad prohibita affectibus nos patiamur abripi.*

(3) *Utut mundanis non raro iniquitates succedant ex voto, aderunt tamen, & quidem magna cum copia, suo tempore dolores promeriti, ita ut Messie carendum sit bonis acquisitis, v. 2. 3.*

(4) *Post alium festinant, qui extra Christi nomen salutem querunt: Act.* IV, 12.

(5) *Messias est sacerdos summus, in V. T. egregiè præfiguratus. v. L. de Christi sacerdotio.*

(6) *Idem Deo reconciliavit omnes homines, adeoque etiam incredulos: Joh.* III, 15. 1. *Joh.* II, 2. *Rom.* XI, 32. V, 18.

(7) *Quod Christus incredulorum non offerat libamina, nec ipsorum meminerit nominis, in culpa sunt ipsimet, ob reluctantiã, gratiæque oblata vilipendium: Joh.* XVII, 9. (non oro pro eis, eo sc. modo &c.) *Act.* VII, 51. XIII, 46. *Luc.* VII, 30. *Matth.* XXII, 8. XXIII, 37.

(8) *Ut Christus nominis tui mentionem faciat, memento ipsemet divini nominis in tuis precibus jugiter. Psal.* XXXIV, 2. *Jes.* XLIII, 2. XLIX, 17.

USUS E VERSU V.

(1) *In Deo omnis sit nostra sufficientia, hunc possideamus fide, charitate, spe, Rom.* XI, 36. 1. *Cor.* III, 21. 2. *Cor.* VI, 10. 16. 1. *Petr.* II, 9. *Extra hunc nulla delicia vere, nulla facultates, nullum præsidium.*

(2) *Hæreditates mundi incerta, manca, curis circumseptæ, &c.*

(3) *Quævis potio admoneat nos refectiois ex uno Deo nostro hauriendæ.*

(4) *De Sorte ac Sortilegiis alibi. Hic admonemur hereditariæ velut portionis, sorte nobis attributæ; quam nulla nostra procurare potuerunt merita: Rom.* VIII, 17.

USUS E VERSU VI.

(1) *Hereditas Messie gentes per orbem sparsæ: Psal.* II, 8. cx, 1. seqq.

(2) *Quos, ceu incultam terram, adeptus est ipse, mundavit suo sanguine, mireque per Spiritum S. excoluit, ac fecundos fecit.*

(3) *Hanc hereditatem suam Christus tuetur masculè. Quid ergo titubamus freudentibus demoniis? Christi sumus peculium, è cujus nos manu eripiet nemo: Joh.* x, 28.

USUS E VERSU VII.

(1) *Benedicamus Domino, laudesque ejus intermitamus nunquam, etiam in adversitatibus maximis. II. præcept.*

(2) *Consilium, à Deo petendum omnium primò, devotè, humillimè, obsequiosè. Conf. Ps.* XIV, 7. *Ipse per spiritum suum mentis discutiit caligines, elabendi viam monstrat facilè, animum addit, opere ipso jurat: Jerem.* XXXII, 19.

(3) *Ad Dei laudes exstimulent nos renes, b. e. amor sanctè exardescens erga hunc nostrum Conditozem, Redemptorem, Restauratorem &c.*

(4) *Etiam noctes ad devotas adhibenda sunt meditationes.*

USUS E VERSU VIII.

(1) *Deus ob oculos nostros collocandus jugiter, ita ut ejus nunquam obliviscamur omnipresentiæ, scientiæ, sanctitatis, justitiæ, &c. v. Gen.* XVII, 1. *Non sufficit Dei meminisse in templo vel die aliquo festo aut*